DE

ECTOPIA CORDIS
CASU ILLUSTRATA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANATOMICA MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE BORUSSICA RHENANA

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO CONSCRIPSIT

ATQUE DIE XXIV AUGUSTI ANNI MDCCCXXV

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS JOANNES HAAN

ARNSBERGENSIS GUESTPHALUS.

ACCEDUNT TABULAE II LAPIDI INCISAE.

BONNAE,

TYPIS PETRI NEUSSERI.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO

CHR. FR. HARLESS

EQUITI

MED. DOCT. PROF. PUBL. ORD. POT. REG. A CONSIL. AUL. INT.

REL. REL.

ATQUE

GRATIOSO AC INCLYTO

MEDICORUM ORDINI

IN REGIA LITT. UNIVERSITATE BORUSSICA RHENANA

NEC NON

VIRO EGREGIO

JOANNI STOLL

MED. ET CHIR. DOCT. CONSILIARIO IN COLLEGIO REGIM. ARNSBERGENSIS,
CONSILIARIO RERUM MEDICINALIUM PLURIUMQUE SOCIETATUM
LITTERARIARUM SODALI

AEQUE AC

PATRI OPTIMO

HERM. JOSEPHO HAAN

PROCURATORI CURIAE IUDICIALIS PUBL. REG. ARNSBERGENSIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS QUALESCUNQUE

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Aliud mihi quidem proposueram speciminis inauguralis thema ex anatomia et physiologia comparata, ejusque respectu experimenta jamjam atque observationes in ranæ specie singulari institueram; sed fatali necessitate coactus hocce thema dissertationis pro tempore seposui, et id quidem partim ob penuriam temporis ad hoc solvendum problema necessarii, partim quoque, quia, præterquam quod difficile explanatu est argumentum, verebar, ne æstivo tempore præterfugiente extricare non potuissem, quæ æstate solummodo observare licet. Hinc admodum convenire videbatur, aliam mihi eligere materiem de qua dissertationem exhibeam inauguralem. Sed quamnam? Diu hæsitabam dubius, qualem rem tractarem, usquedum monente dissertatione: *de vitiis circa abdomen congenitis*, nuperrime adhuc in lucem edita, museum anatomicum adirem, quod quidem per breve modo tempus, sed egregiis revera thesauris floret anatomicis, et speciali erga me benevolentiæ directoris instituti, Cl. Professoris *Mayer* debeo huncce casum, quem in sequentibus communicabo pagellis.

Ad hæc commemorare velim, Cl. Professorem *Mayer* me in inquirendo et describendo hocce fœtu, nec non incessus delineatione consilio suo adjuvasse, ita, ut quod ad præcisam exactamque descriptionem nil amplius desiderandum remaneat, quare Viro huic Clarissimo, et de me bene merito summas ago gratias.

Antequam vero conditionem somaticam hujus fœtus indicabo, liceat mihi prius respectum habere ad systema, quod Exp. *Weese* in dissertatione sua: *de cordis Ectopia, Berolini MDCCCXIX,* promulgavit, et de quo primum, tum vero de illo nosologiæ ectopiarum cordis systemate, quod mihi ipsi tanquam magis idoneum arripiendum videbatur, quædam promulsidis loco dicenda erunt.

Permulti casus, qui situs cordis variæ mutationis respectu exstant, egregio calamo virorum celeberrimorum descripti, in operibus eorum

singuli inveniendi (multorum collectio vero, revera accurata, in supra memoreta dissertatione habenda est), satis superque demonstrant, minime rarum esse hocce vitium conformationis; et si, qui exstant casus inter se, comparantur resultant quasi permultæ varietates ejusdem, ita, ut cujusvis rei respectu, systematica quædam divisio illorum magnopere suo loco videatur. Talem divisionem invenies a Cel. *Meckelio*, qui genera hujus vitii desumit a vario gradu extensionis fissuræ corporis, et in varia intensitate fundamentum divisionis in species posuit. Hæc vero divisio, prouti Exp. *Weese* recte commemoravit, nonnisi manca est, ita, ut non omnes casus subsumi possint.

Aliorum forsan divisionis respectu non habito, mihi potissimum mentionis dignum videtur systema, quod placuit auctori supra memoratæ dissertationis. En illud:

ORDO I.

ECTOPIA CORDIS PECTORALIS.

Genus I. E. C. pectoralis cum sterni et costarum integritate.

- Species 1. E. C. pectoralis sine complicatione cum alia difformitate.
- Species 2. E. C. pectoralis cum aliis formationis erroribus complicata.

Genus II. E. C. pectoralis cum sterni fissura vel defectu.

- Species 1. E. C. pectoralis sine complicatione.
- Species 2. E. C. pectoralis cum aliis deformationibus conjuncta.

ORDO II.

ECTOPIA CORDIS VENTRALIS.

Genus I. E. C. ventralis cum sterni et costarum integritate.

- Species 1. E. C. ventralis nuda.
- Species 2. E. C. ventralis sacco hernioso cincta.

Genus II. E. C. ventralis cum sterni et costarum mutilatione vel defectu.

- Species 1. E. C. ventralis nuda.
- Species 2. E. C. ventralis sacco hernioso cincta.

Si hujus systematis singula animo reputemus, mihi videtur in distributione huc spectantium vitiorum in E. C. pectoralem et E. C. ventralem qua ordines, genearliora, quæ, necesse est, ut primum teneant locum in systemate, non satis respecta esse, ac fas fuisset; prouti hocce dillucidabitur in subsequente a me subjungenda divisione. Deinde quoque genera in supra allato systemate non satis distincta videntur; exempli gratia generis secundi primi ordinis; nempe: E. C. pectoralis cum sterni fissura vel defectu mentio fiat.

In omnibus, quæ modo exstant operibus chirurgicis, satis, et rei ipsi summe convenienter distinguitur fissuram inter et defectum. Fissura unaquæque forsan et defectus cognominari potest, minime vero omnis defectus est fissura. Aptius ergo fissura et defectus utraque in generibus sibi locum exposcunt.

Tantum de illis, quæ, ad opinionem meam in systemate a *Weese* elaborato, adhuc desiderari possunt.

Quibus præmissis facile quasi resultant omnia, quæ, prouti mihi videtur, ad distributionem supra allatam aliquo modo tamen emendandam inserviunt.

Minime vero inficiari volo, hocce, tali modo aliquanto emendatum systema, non aliam adhuc emendationem admittere, exempli causa locus Ectopiae, an illa contigerit nempe in colli inferiore parte, cujus casus adsunt, an in pectore, an per diaphragma, fundamentum divisionis in genera nobis aliud offerre possit, quod forsan majore insigne esset præcisione. Non minus etiam Character specierum singularum aptius ponendus esset in conditione sterni costarum atque pericardii, cujus in divisione et Exp. *Weese* respectum non habuit.

Sed prohdolor varietas casuum attamen hucusque non tanta est, ut singularum specierum observatio adduci queas. Eamque ob causam nil amplius expectes a me, lector benevole quæso, nisi simplicem emendationem superioris systematis.

Equidem mihi persuasum habeo; ectopiam ordinem in systemate efficere non posse, sicut Exp. *Weese* hocce voluit; sed potius consistere

illam in dislocatione. Hæcce dislocatio, respectu cordis, æque ac ad exteriora contingit, etiam interna esse potest, quæ ultima vero non est ectopia; ectopia cordis autem nil est aliud nisi dislocatio cordis ad exteriora.

Dislocatio cordis ergo, qua ordo, primum teneat locum in subsequente divisione, quam secundum omnes, qui exstant, casus disponere nunc suscipiam. Atque hæc erit nostra, quam dicunt, classificatio.

ORDO VITII AGNATI.

DISLOCATIO CORDIS.

SERIES I. *Disloc. Cord. ad intus, sive interna.*

SERIES II. *Disloc. Cordis ad extus.* — Hæc secunda series venit nomine *Ectopiae Cordis.*

A. E. C. per parietem thoracis anteriorem.

GENUS I. E. C. cum sterni et costarum integritate.

Species 1. sine complicatione. *Weese* observatio in agno.

Species 2. cum complicatione. *Vaubonaeus, Schulzius.*

GENUS II. E. C. cum sterni fissura.

Species 1. sine complicatione. *Büttner* infans fœmina a *Weese* denuo descripta. *Martinez.*

Species 2. cum complicatione. Observatio desideratur.

GENUS III. E. C. cum sterni defectu.

Species 1. sine complicatione. *Sandifort.* Casus ex theatro anatomico nostro Bonnensi a me descriptus.

Species 2. cum complicatione, *Mauchardtus, Gilibertus, Tourtelius, Huenerwolfius, Büttner.* Fœtus masculus a *Weese* denuo descriptus. *Küstner, Morandus, Cerutti.* Observationes novæ in quatuor fœtubus Musei Berol. *Stensonus, Merius, Chabelardus, Grandius.* — In brutis *Hoffmannus.* Sceleton vituli in Museo scholæ veterinariæ Berolin.

B. E. C. per parietem thoracis inferiorem seu diaphragma.

GENUS I. E. C. cum sterni et costarum integritate.

Species 1. E. C. per diaphragma s. nuda. *Prochaska, Herold.*

Species 2. E. C. per diaphragma sacco hernioso cincta. *Sandifort.*

GENUS II. E. C. per diaphragma cum sterni et costarum mutilatione vel defectu.

Species 1. E. C. per diaphragma nuda. *Pinelius, Malacarnius.*

Species 2. E. C. per diaphragma sacco hernioso cincta. *Voigtelius, Fleischmannus.* — *In Brutis. Ceruttí.*

Distributis ita observationibus circa ectopiam cordis similiter, aliqua licet cum modificatione, ac illas distribuerat Exp. *Weese*, mihi adhuc superest ad plane exhibendam materiem mihi propositam, subjungere casum ectopiæ cordis a me inquisitum atque consignatum, qui in systemate locum sibi exposcit in ectopiis cordis per parietem pectoris anteriorem cum sterni defectu sine complicatione.

DESCRIPTIO CASUS ANATOMICI ECTOPIAE CORDIS.

Fœtus ille, fœminini generis, de cujus historia nihil patet, et quem Experientissimus Dr. *Hoepfner*, Consiliarius Medicus apud Aquisgranenses, Museo anatomico nostro cum multis aliis speciminibus egregiis suppeditavit, solitam magnitudinem quidem atque pondus non attingit; attamen justam mensium seriem sine dubio explevit: quod concludere licet ex cutis conditione, quæ sine rugis est, nec non ex unguium pedum manuumque evolutione perfecta, atque ex capillis. Cæteroquin pulmonum conditio nos certiores facit, vixisse illum, aliquod per tempus saltem post partum.

Pondus illius quinque librarum medicinalium efficit. Dimensio a vertice ad plantam pedis usque, sedecim, itidem a vertice ad os coccygis, undecim digitorum explet.

Capitis circumferentia est sex digitorum cum quinque lineis; diameter illius transversa, ab ossificationis puncto unius, ad illud alterius ossis bregmatis, tres digitos et dimidiatum; diameter a fronte ad os occipitale usque, seu longa, quatuor digitos duasque lineas; illaque a mento ad

verticem usque, sive diameter obliqua, quatuor digitos et quartas tres; denique diameter perpendicularis, a vertice ad os sphœnoideum tres digitos cum dimidio efficit. Humerus ab humero distat quinque digitis, atque trochanteres majores a sese sejuncti sunt, tribus digitis et una linea.

Fœtus evolutionem revera symmetricam omnium partium præ se fert. Caput ex omni intuitu bene conformatum, capillis aliquanto helvolis leviter, prouti assolet, obtectum, faciem formosam sine omni vitio monstrat. Collum justo brevius apparet. Extremitates, vitiorum expertes, justa ratione ad totum corpus gaudent; thorax absque omni labe visui sese offert; præterquam quod in medio, circiter infimam colli partem inter et insertionem funiculi umbilicalis, extra normam corpus subrotundum prominet, cum processu vermiformi, qui terminat in funiculo umbilicali.

Hujusce corporis ipsius omniumque, quæ illocum aliqua modo ratione gaudent, conditionem sequentibus indicabo.

CONDITIO HUIUS CORPORIS EXTERNA.

Forma illius, quod supra jam memoravi, subrotunda est. Pars hujus corporis superior duobus insignis est processubus, qui lateribus insidunt. Unus eorum, qui in latere dextro sese visui offert, magnitudinis est nucis avellanae; illeque lateri sinistro insidens minorem, sed etiam rotundam efficit eminentiam. Corpus majus ovuli gallinæ magnitudinem habet. Superficies totius corporis prominentis externa tunica quadam sacculi adinstar obducta apparet, quæ, tunica nempe, nonnullis in locis rugas efformat, in aliis vero vasorum ramificationes visui offert, quæ per illam translucent. Hæcce tunica, vel potius superindumentum corporis prominentis ex omni parte evidenter, immediateque cohæret cum cuti externa fœtus; aut potius nil est, nisi continuatio ejus, quamquam, quoad formam externam, ab illa distinctum.

Nonnullis in locis elevatio hujus superindumenti tentabatur, atque arcte corpori quidem adjacens, minime vero illocum coalitum inveniebatur; ita ut maximacum verosimilitudine concludere liceat hocce superindumentum sacculi adinstar circumdare corpus prominens, quod adhuc

insuper demonstratur quasi rugis illis, supra jamjam memoratis, quæ formantur plicatione involucri hujus. In parte corporis hujus prominentis inferiore transit tunica supra descripta involvens in supra memoratum processum vermiformem, qui in origine sua latus aliquanto et complanatus, semper sese attenuans excurrit, usque ad locum insertionis in funiculo umbilicali.

Hæc apophysis vermiformis quoad habitum externum plane cutis infantis conditione insignis, colorem ejus, ac uti ipsa pilos monstrat parvulos, rugasque longitudinales majores, obliquas minores offert. Incisione in apendicem facta, paululum telæ cellulosæ intus in conspectum veniebat, atque specillum facili negotio introductum, satis superque demonstrat, hunc processum vermiformem nil esse nisi continuationem immediatam superindumenti corporis in superficie pectoris prominentis. Cutis in regione circa prominentiam descriptam, sursum dextrorsum sinistrorsumque haud longo spatio, deorsum vero ad insertionem usque funiculi umbilicalis, ergo in extensione digiti unius et dimidiati, plane ejusdem conditionis est ac superindumentum sæpius memoratum. In superiore hujus corporis parte, in illo loco nempe, quo adhæret superficiei pectoris, vasa majora, a processubus supra jam memoratis lateralibus quasi procedentia, in conspectum veniunt, quæ superindumento communi totius prominentiæ obducta sese propagant in pectoris cavum, extra omne dubium ponunt, hoc corpus, quasi suspensum in vasis illis, cor esse, quod sede sua normali in cavo pectoris relicta foras protrusum est, incumbens plano excavato, quod format cutis externa supra descripto modo degenerata.

Hæc fere sunt omnia, quæ moneam de habitu hujus infantis externo. Jamjam ad ea accedo, quæ interna singularum partium perscrutatio exhibuit.

Digito circiter, mensuræ parisiensis, a margine superiore aperturæ illius, per quam vasa supra memorata cavum pectoris intrant, incisione orbiculari integumenta pectoris, unaque eodem modo et jam illa abdominis dissecabantur.

Separatis a sterno atque costis integumentis, illisque et tela cellulosa remotis, sterni manca evolutio præ omnibus in epiphaniam veniebat.

Corpus sterni et processus xiphoideus plane desunt, et solummodo manubrium, bene evolutum inveniebatur. Ossa clavicularia absque omni difformitate in superiore manubrii margine laterali insidunt; atque arcte infra illa in utroque latere cartilago primæ costæ, in margine vero laterali inferiore manubrii, prouti hocce assolet in statu normali, cartilago secundæ costæ sese cum manubrio conjungunt.

Tertiæ costæ cartilagines ab utroque latere infra manubrium conveniunt, et tali modo cum manubrii inferiore margine conjunctæ sunt. Cæterarum autem costarum cartilagines sibi quasi superincumbunt, itaque cartilagini tertiæ costæ utriusque lateris accretæ conformant arcum cartilagineum, qui, arcus nempe, portam quasi exhibuit cordi prolapso.

Cœteroquin omnes costæ et numero et conformatione ad naturam sunt, nisi excipere velis cartilaginum inter sese accretionem.

Dimensio manubrii sterni in longum novem et in latum septem linearum, atque ossificatio illius normaliter progressa est.

Dissectis deinde osse claviculari a manubrio sterni, et costis utriusque lateris, nec non resupinatis omnibus, cavum pectoris ipsum sequente modo oculis sese offerebat; arcte post manubrium sterni primo in conspectum veniebat glandula thymus, bene conformata, cornubusque superioribus ad glandulam usque thyreoideam ascendens, vasis magnis, quæ ibidem inveniuntur, incumbens. Cavitas pectoris cor non continebat, sed hocce supra descripto modo foras prolapsum erat. Pericardii nulla vestigia in cavitate conspicienda erant.

Cor ad pectoris superficiem prolapsum sequenti modo sese habebat: involucro ejus, quod conformatum est ex continuitate cutis externæ (vide supra) dissecto nonnullis in locis, non altera membrana (pericardium forsitan) in conspectum veniebat; sed statim fibræ musculares transversales (cordis fibræ) inveniebantur, planeque ergo cor pericardio destitutum erat.

Tela cellulosa, quæ sternum inter et vasa supra memorata sat magna quantitate inveniebatur, resecta, vasa ipsa sequenti modo sese habebant.

In dextro latere visui sese offerebat vena cava superior, cui normaliter se infundebant, vena media atque vena subclavia sinistra, crassitie

supranormali insignis; dimensioque illius a corde ad venam subclaviam est digiti unius quatuorque linearum, revera et hæcce, plusquam normalis est. Deinde sinistrorsum magis subsequitur arteria aorta, cujus ramus ascendens (a corde nempe ad truncum anonymum) digitum unum cum tribus lineis efficit. Hæcce longitudo minime quoque ad naturam est. Insuper adhuc truncus anonymus ramulum mittit ad glandulam thymus. Exinde subsequitur in sinistro latere arteria pulmonalis, quæ plane normaliter sese habet; ductus arteriosus *Botalli* vero majore, quam normali magnitudine itidemque gyrato insignis est decursu, Dimensio illius in longum (cum illis curvationibus, quas efficit in decursu suo) digiti est et quatuor linearum; sine illis curvationibus vero, solummodo ergo distantia ostiorum, decem lineas efficit. Insuper adhuc respectu ductus arteriosi Botalli mentionis dignum mihi videtur, ostium illius in arteriam aortam, quod, antequam in convexitate arcus aortæ truncus ascendit anonymus, invenitur. Pulmones plusquam normaliter evoluti sunt lobusque illorum sinister inferior non insignis est illa excavatione, quam offert situ cordis normali. Nervus vagus, sicuti et nervus sympathicus plane ad naturam sese habent; sed nervus phrenicus decurrit in latere vasorum majorum externo. Extra hucusque descriptas abnormitates, cavum pectoris nil amplius memoratu dignum offert. Diaphragma plane incolume adest.

Resupinatis et nunc abdominis integumentis communibus nihil quod extra normam esset sese præbuit, nisi plus justo evolutum hepar pro corporis saltem pondere atque magnitudine. Cystis fellea nihil bilis continet. Renes atque renes succenturiati, quorum ratio inter se invicem eadem fere est, ac in adultis, involucro celluloso sat denso obtecti sunt, neque forma, neque structura a natura aberrant. Uterus magnitudine præsertim insignis est. Pelvis cæterum bene conformata ossaque pubis symphysi inter se cunjuncta sunt.

Encephalum et medulla spinalis cujusvis abnormitatis expertes sese offerunt.

Ad casum ita descriptum magis illustrandum duæ tabulæ adjectæ sunt, quarum prima sistit fœtum; secunda, conditionem sterni cordisque prolapsi; cæteroquin vide explicationem tabularum.

EPILOGUS.

Quamquam antiquioris jamjam ætatis auctores operam navarent extricandæ vitiorum cognatorum naturæ; attamen hucusque nonnisi incerta habemus, et incerta nobis erunt, quamdiu generationis et normalis fœtus evolutionis negotium nos non plane innotescit.

Summopere respectabiles sunt quidem observationes præstantissimorum virorum nostræ ætatis magna cum diligentia institutæ circa pulli incubati evolutionem, et revera permultum conferunt illæ ad generationis processum dillucidandum; sed hæcce omnia aliter sese habere possunt in cæteris animalibus et in homine. Minime ergo hæc analogia solummodo nos certiores reddere valet de natura vitiorum cognatorum in homine.

Diversimode ab antiquioris ætatis temporibus hucusque derivata sunt vitia illa, quibus etiam ectopiæ adnumerantur, atque nunc potissimum causa in conformatione impedita quæritur. Sed nescio, cur non et mechanica causa tale vitium producere queat. Casus hujus dissertationis, atque alii originem dislocationum ex causa mechanica, ad opinionem meam, comprobare videntur; et certus sum, complures hanc originem demonstrare, dummodo inquisitores illorum magis respectum haberent in organorum evolutionem, quæ una cum protrusis in statu normali cavum explere solent, exempli causa cavum pectoris in fœtu supra a me descripto extra vasa cordis præsertim crassitie peccantia offerebat plus justo evolutos pulmones, quorum lobus sinister inferior non insignis erat excisione illa, quæ tum adest, si cor normali suo situ gaudet. Similia quoque refert *Büttnerus* de infante fæmina (vide supra) in observationibus suis anatomicis.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BONNENSIS ADIECTUM.

Ego *H. I. Haan*, Arnsbergæ ad Rhuram, in Ducatu Guestphaliæ, calendis Juniis anni MDCCC natus sum; patrem veneror *H. I. Haan*, procuratorem consilii aulici et notarium publicum, matrem *Elisabetham* e gente *Dunker* oriundam, ambo adhuc sospites.

Inde a tenerrima ætate parentum optimorum præcipua cura nil impedimento erat, quominus omnibus, quæ puerili animo conveniunt, imbuerer doctrinæ alimentis, simulque prima linguæ latinæ ponerem rudimenta. Deinde Gymnasium urbis patriæ adii, ubi per sex annorum spatium continuum versatus, præceptores habui pie colendos. Examine pro maturitate rite absoluto, autumno anni MDCCCXX medicinæ studium aggressurus, splendidissimam Rhenanam litterarum universitatem petii, et matriculæ universitatis inscriptus, Albo medicorum ordinis nomen dedi.

Exinde prælectiones Professorum, et philosophici et medicorum ordinis, celeberrimorum sequentes frequentavi: studiorum philosophicorum hæc mihi ratio erat:

Logicam Cl. *van Calker;* anthropologiam, psychicam et somaticam Cl. *Nasse;* physicen Cl. *Kastner;* botanicen generalem et entomologiam Cl. *Nees ab Esenbeck* sen.; chemiam et phytochemiam Cl. *G. Bischof;* chemiam pharmaceuticam et cryptogamiam Cl. *Nees ab Esenbeck* jun. me edocuere. Ornithologiam, zoologiam, zootomiam et mineralogiam Cl. *Goldfuss* mihi tradidit, qui, officium assistentis in Museo rerum naturalium mihi committendo (quo officio per duos et quod excurrit annos functus sum), occasionem in rebus naturalibus magis magisque me excolendi mihi præbuit optimam.

Sequitur nunc ratio studiorum, quæ ad rem medicam pertinent:

Anatomiam specialem, histologiam seu anatomiam generalem Cl. *Mayer;* osteologiam et syndesmologiam nec non anatomiam comparatam Cl. *Weber* mihi demonstrarunt. Encyclopædiam et methodologiam artis medicæ Cl. *Windischmann* mihi exposuit. In arte cadavera dissecandi duces mihi fuerunt Cl. *Mayer* et Cl. *Weber.* Physiologiam, therapiam generalem et specialem Cl. *Nasse* me edocuit; eundem de diagnosi morborum ore latino disserentem audivi. Prælectiones medico forenses, totam pharmacologiam atque artem formulas medicas concinandi Cl. *E. Bischoff;* pathologiam generalem cum semiologia Cl. *Ennemoser* mihi tradiderunt. Pathologiam et therapiam morborum chirurgicorum, opthalmiatricen, akiurgiam, fasciarum usum atque doctrinam de fracturis et luxationibus ossium Cl. *a Walther* mihi tradidit. Prælectionibus de therapia acutorum morborum, febrium intermittentium, de materia medica, sicuti et interpretationibus latinis *Aretaei* librorum Cl. *Harless* interfui.

Exercitationibus clinicis et policlinicis medicis Cl. *Nasse*, duce per annum integrum auscultando, et per idem temporis spatium exercendo interfui.

In instituto clinico chirurgico et ophthalmiatrico per duo semestria moderatorem habui Cl. *a Walther.*

Cl. *Stein* artis obstetriciæ utramque partem me docuit, atque lectiones practicas in xenodochio suo per annum dimidium mihi præstitit.

Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas habeboque sempiternas.

THESES.

I. *Non omnes deformitates, quae vitia primae conformationis impeditae habentur, revera talia sunt.*

II. *Differentiam pleuritidem inter et pneumoniam tam quoad diagnosin, quam quod ad therapiam contendo.*

III *Omnis therapia nimis simplex nocet aegrotantibus.*

IV. *Chirurgus, nisi idem simul medicus est, haud utilis sed futilis.*

V. *Hydrophobia morbo exanthematico analoga sese habet.*

VI. *Exanthematum chroniçorum classificatio et plurium generum in species diremtio illa, quam V. V. Cl. Cl.* WILLAN *et* BATEMAN *susceperunt, multis numeris manca et arbitraria est.*

VII. *Non sunt morbi mentis per se.*

VIII. *Extispiciorum scite et prudenter factorum in nosognosia et clinice etsi summa sit vis atque utilitas, tamen inconsiderate et perverse institutorum fertilissimus quoque erroris damnique fons esse potest.*

EXPLICATIO TABULARUM.

Figura I. Exhibet totam fœtus imaginem.
Nro. 1. 2. 3. Cor prolapsum cum atriis suis.
1. Ventriculi cordis.
2. Atrium dextrum.
3. Atrium sinistrum.
5. 5. 6. Vasa cordis majora.
4. Arteria aorta.
5. Arteria pulmonalis.
6. Vena cava superior.
7. Processus vermiformis.
8. Funiculus umbilicalis.
9. Locus insertionis processus illius vermicularis in funiculo umbilicali.

Figura II. Exhibet conditionem sterni.
Nro. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. uti in figura I.
8. Curvatio ductus arteriosi Botalli.
9. Manubrium sterni.
10. Plana articulationis ossium clavicularium.
11. Cartilagines costarum.
12. Partes costarum resectæ.
13. 13. 13. Arcus cartilagineus, a coalitu omnium cartilaginum exortus.

Figura I. duas tertias offert magnitudinis fœtus ipsius.
Figura II. sistit magnitudinem partium naturalem.

Fig. 1.



Fig. 2.



... Hohe ad naturam et in lapidem delineavit.